

DE DIALOGO ANNO 1578 A BARTHOLOMAEI BRAVI DISCIPULIS ACTO

Bartholomaeus Bravus¹ in vico Martin Muñoz prope Segoviam apud Hispanos anno 1553 exeunte aut potius anno 1554 vitam introivit, atque ad annum duodevicesimum pervenerat, cum Salmanticae anno 1572 Societatem Iesu ingressus est. Peracto autem studiorum curriculo, apud Gallaecos in oppido Monte Regio Lusitaniae propinquo nonnullos annos primum, ut illa aetate in Castellana provincia mos erat, postea vero Segoviae, Abulae, Legione inque aliis Castellanae provinciae oppidis ultra triginta annorum spatium adulescentes atque postremo futuros magistros linguam Latinam atque artem poeticam et oratoriam docuit. Studio et usu doctus libros de syntaxi,² de progymnasmatibus,³ de conscribendis epistulis,⁴ de arte poetica,⁵ de arte oratoria,⁶ atque dictionaria ex Hispanico in Latinum et e Latino in Hispanicum sermonem⁷ confecit, quae in Hispania atque in India Occidentali seu America usque ad saeculum undevicesimum plus quam ducenties typis data sunt. Haec scholaria enchiridia disciplinas omnes ad facultatem Latine dicendi scribendique pertinentes complectuntur, atque elegantes

¹ De Bravi vita Hispanice scripsi: 'Bravo, Bartolomé', apud *Diccionario biográfico español*, Madriti, Real Academia de la Historia, 2010, vol. IX, pp. 380-381; atque 'Bravo, Bartolomé (1554-1607)', apud *Diccionario biográfico y bibliográfico del humanismo español (siglos XV-XVII)*, ed. J.F. Domínguez, Madriti, Ediciones Clásicas, 2012, pp. 143-147. Vide etiam Petri Ribadeneira *Illustrium scriptorum religionis Societatis Iesu catalogus*, Antuerpiae, Ioannes Moretus, 1608, pp. 34-35, 208, 217 et 261; P. Ribadeneira – Ph. Alegambe – N. Southwell *Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu*, Romae, Lazzarus Varesius, 1676 (2^a ed. 1969), *Bibliotheca Scriptorum Societatis Iesu*, Romae, 1676, p. 105; Nicolai Antonii *Bibliotheca Hispana Nova sive Hispanorum scriptorum qui ab anno MD ad MDCLXXXIV floruerunt notitia*, Madriti, Ibarra, 1783, t. I, p. 189.

² *Liber de octo partium orationis constructione*, Pompeloniae apud Thomam Porralem, 1589.

³ *Progymnasmata sive praeexercitationes Oratoriae, cum singulis cuiusque progymnasmatis exemplaribus*, Pompeloniae apud Thomam Porralem, 1589; iterum prodierunt Segoviae apud Petrum Rhemensem anno 1591, atque anno 1596 in libro quinto *De arte oratoria*.

⁴ *Liber de conscribendis epistolis cum singulis cuiusque generis Epistolarum exemplaribus*, Pompeloniae apud Thomam Porralem, 1589. Postea adiecti sunt *Epistolarum libri tres, quibus virtutis doctrina iuventuti accommodata continetur*, Burgis, Ioannes Baptista Varesius, 1601.

⁵ *Liber de arte poetica*, Salmanticae, Michael Serranus, 1593; altera editio Methymnae a Campo excudebat Iacobus a Canto anno 1596, atque secunda tantum pars edita est Mexici apud Henricum Martínez anno 1604.

⁶ *De arte oratoria ac de eiusdem exercendae ratione Tullianaque imitatione, varia ad res singulas adhibita exemplorum copia, libri quinque*, Methymnae a Campo excudebat Iacobus a Canto anno 1596.

⁷ *Thesaurus verborum ac phrasium ad orationem ex Hispana Latinam efficiendam et locupletandam*, Salmanticae excudebat Andreas Renaut, 1599²; *Compendium Marii Nizolii sive Thesauri Marci Tullii [sic] Ciceronis, quo tum verba, tum variae cuiusque verbi formulae ac locutiones, quibus idem usus est, continentur, Hispano idiomate singulis verbis adscripto; additum Dictionarium plurimarum vocum, quae in Ciceronis scriptis desiderantur, ab aliisque Latinis scriptoribus, quorum nomina vocibus singulis apponuntur, collectae*, Vallisoleti ex officina Hieronymi a Murillo, 1619.

epistulas continent quas ipse Bravus conscripserat, necnon luculentas orationes quas pluribus in oppidis declamaverat. Anno vero 1607, atque suae aetatis tertio et quinquagesimo, Novembri mense die vicesimo Bartholomaeus Bravus Methymnae a Campo e vita discessit.

Cum fabulae scaenicae omnibus rhetoricae artis magistris in Iesuitarum scholis quotannis essent conficiendae, quae a discipulis publice agerentur, pater Bravus de Virgine Maria dialogum conscripsit, qui Monte Regio actus est anno 1578 in Virginis Mariae Conceptionis festivitate, quo die octavo mensis Decembris Congregatio Dominae Nostrae ibidem est instituta;⁸ hic enim dies festus orationibus, carminibus, aliisque litterariis exercitamentis in Societatis Iesu scholis sollemniter celebrari solebat, quam consuetudinem eiusdem Societatis ratio studiorum anno 1599 praecepit. Patrem Bravum fuisse Bartholomaeum Bravum, qui annos quattuor et viginti natus erat eo tempore, inter alia confirmant multa eiusdem praecepta de oratoria et poetica arte post duo triave lustra typis mandata, quae pater Bravus in hoc dialogo iam secutus est, cum adulescens in Georgii Sabini,⁹ Thomae Corraeae,¹⁰ Cypriani Soarii¹¹ aliorumque libris iam didicisset.

Cum hic dialogus etiam coram parentibus, populo, militibus et peregrinis editus sit, ex Latinis scaenis et Hispanicis constat, quae saepius soluta oratione, non raro variis metris sunt conscriptae. Ego vero de scaenis Latinis nunc tantum dicam, etsi totius dialogi editionem principem curavi ex exemplari quodam manu scripto (*H*), quod licet nonnullis lacunis et plurimis mendis scatens,¹² atque signis interpunctionis et nominibus personarum plerumque carens, Madriti apud Historicae Academiae Regiae Bibliothecam servatur.¹³

⁸ Vide Evaristi Rivera Vázquez *Galicia y los jesuitas: sus colegios y enseñanza en los siglos XVI al XVIII*, Brigantii, 1989, p. 182.

⁹ *De carminibus ad veterum imitationem artificiose componendis praecepta bona et utilia, collecta a clarissimo viro...*, Lipsiae Valentinus Papa edebat anno Christi 1551. Hic libellus etiam annis 1566 et 1577 typis est mandatus.

¹⁰ *De toto eo poematis genere, quod epigramma vulgo dicitur, et de iis, quae ad illud pertinent, Libellus*, Venetiis ex officina Francisci Ziletti, 1569.

¹¹ *De arte rhetorica libri tres ex Aristotele, Cicerone et Quintiliano praecipue deprompti*, Coimbricae [sic pro Conimbricae seu Conimbrigae] apud Ioannem Barrerium, 1562.

¹² Etiam notas compendiarias plene scripsi, atque litteras maximas vel minutiores, diphthongos, consonantes geminatas, Graecorum vocium consonantes aspiratas et vocalem *y*, litteras *m* pro *n* vel *n* pro *m*, et *t* pro *c* cum *i* ante vocalem sequitur, interdum correxi.

¹³ Real Academia de la Historia, 9/2566, ff. 71r-84v.

In scaenis prosa soluta recitandis sermo Latinus et progymnasmata seu praeexercitationes oratoriae quaedam praesertim a discipulis exercentur. Bravus enim putabat comoediam esse narrationis genus quoddam, unde fit ut totus dialogus narratio haberi possit. Itidem prosopopoeia est hic dialogus, sicut tragoediae, comoediae ceterique ludi scaenici, cum non poeta directe sed personae suos proferant sermones. Praecipue vero progymnasmata maiora, scilicet sententia, refutatio, confirmatio et laus, exercitantur, quae ad unumquodque Rhetoricae genus pertinent, id est deliberativum, iudiciale et demonstrativum. Ergo dum ludum scaenicum faciebant, Bravi discipuli Latinam linguam simulque grammaticae, oratoriae et poeticae artis rudimenta exercebant; etiam quas probatas sententias memoriae mandaverant, coram populo magna voce pronuntiabant. De memoria et de voce ipse Bravus in suo de arte oratoria libro primo multa etiam praecipit,¹⁴ atque de gestu praecepta duo et triginta scripsit, quae ad corpus, ad manus, ad caput, ad vultus, ad oculos, ad labra, ad collum, ad humeros, ad brachia et ad digitos pertinent, quae in scaena iustius etiam exerceri poterant.

Bravus antiquos scriptores eisdem imitatur rationibus, quas ipse in suo de arte oratoria libro tertio retulit. Idem in hoc dialogo nonnullas locutiones ex Plautinis Terentianisque comoediis mutuatus est, sed prae ceteris auctoribus Ciceronem sectatus est, praesertim epistulas ad familiares, ad Atticum, ad Brutum et ad Quintum fratrem, Philippicas aliasque orationes, libros Tusculanarum disputationum et de oratore atque alia eiusdem scripta. Bravus enim in oratoriae artis libro tertio de imitatione scribit Ciceronem ducem et magistrum proponendum esse ei, qui ad eloquentiae laudem aspiret; neque tamen negat, etiam ex aliis licere non modo sententias, sed etiam artificii ac verborum aliquid mutuari. Ex Senecae igitur epistulis ad Lucilium et dialogis atque ex aliis auctoribus antiquis plurimos locos locutionesque etiam deprompsit. Nonnullas vero locutiones apud mediaevales et recentiores scriptores tantum invenies,¹⁵ quorum paucos Bravus procul dubio legit; locos similes tamen nonnullos notavi ex Colutii Pieri Salutati tractatu *De nobilitate legum et medicinae*, ex quodam Salmonii Macrini carmine, ex Aldi Manutii *Phrasium* indice, ex Remberti Dodonaei libri titulo, ex Desiderii Erasmi *Institutione principis Christiani*, atque ex aliis operibus.

¹⁴ In capitibus 99-103.

¹⁵ Locos similes apud *Seriem ‚A‘ Bibliothecae Textuum Latinorum* domus editricis Brepolis, apud Institutum Humanitatum Packard, atque in aliis paginis interretialibus in primis inveni.

Bravus in versibus heroicis Vergilium (cuius nomen semper Virgilium scribit), in versibus imparibus Ovidium in primis imitatur, quos in suo de arte poetica libro prae omnibus laudat et commendat; sed etiam aliis poetis antiquis et recentioribus versuum clausulas et locutiones nonnullas etiam debet, quorum notae ex Thesauri linguae Latinae atque Dictionarii Mediae Latinitatis indicibus Lipsiae et Monachii editis plerumque sunt solvendae.¹⁶ Incertum tamen est utrum Bravus ea carmina medio aevo et recentiore aetate exarata legerit, an in aliis carminibus mediaevalibus aut neolatinis similes versus invenerit. Utcumque sit, etiam recentiorum scriptorum locos similes refero nonnullos, quales *dementia cogit* in Modii de Modiis carmine ad Iohannem et Barianum de Corigio atque in Fausti Andrelini ecloga, quam Ravisius Textor in Epithetorum opere excerpserat, ubi Bravus nisi fallor eam clausulam legerat. Etiam poetarum Iohannis Policarpi Severitani, Eliae Corvini Ioachimici, Iacobi Praefecti Siculi ac Marci Antonii Sabellici nomina notis compendiariis notantur.

Bravus in libro de arte poetica praecipit poeticam orationem affectibus et verbis ab optimis auctoribus usurpatis implendam esse, quod Sabinus, Melanchthonis gener, aliique iam antea similibus verbis monuerant. Item uterque scribit in hexametro versu vitandas esse in fine dictiones monosyllabas, quae a Bravianis hexametris absunt. Multa etiam quae ibidem legimus de epithetorum usu et collocatione atque de prosopopoeia, de iteratione deque aliis figuris quae ex coniunctis verbis fiunt, in huius dialogi versibus usurpantur.

Post prologum versibus quinque et septuaginta Hispanice conscriptum, in quo dialogi argumentum narratur, Devotio in prima scaena versus hexametros sex et viginti affectibus plenos recitat, qui locutiones et verba plurima a Vergilio in primis atque ab aliis poetis usurpata continent, atque versus tres et sexaginta Hispanice exaratos:

Illa ego, quae quondam multorum corda regebam
inflammata meis monitis, accensa calore
ignis caelestis, merito recolentia divos
cultu, nunc miseris pellor Devotio terris.
O mortale genus, quae te tam dira cupido
exagitat rerum, demens? mortalia corda,
quae vos per terrae sordes dementia cogit
serpere, nec linquit mentem super astra volare?¹⁷ (vv. 1-8)

¹⁶ Verba a Bravo in eadem versus sede adhibita, signo # interclusi.

¹⁷ **1** #ille ego qui quondam#.../.../... colono / ...nunc PS.-VERG. *Aen.* 1-4 · #lora regebat# VERG. *Aen.* 12.624 · **2** meis monitis IUVENC. 1.715 · #accensa calore# VITA S. KATER. 74 · **3** ignis caelestis AMBR. *epist.*

Deinde scholastici duo ex epistula morali septuagesima, quam Seneca ad Lucilium composuit, decerptam sententiam eodem tenore interpretantur quo ipse Bartholomaeus in progymnasmatum libro praecipit sententias esse explanandas, atque eaedem partes ibi memoratae tractantur, scilicet causa et simile (“nam quemadmodum”), contrarium (“adulescentia... cum pueritiae simplicitate”), exemplum (“in me ipso... expertus”) et testimonium ex versibus Vergilianis, necnon alia argumenta alibi exposita, qualis etymologia¹⁸ (“ipsum pueritiae nomen quod puritatem quandam mentis indicat”), quae ex Varrone deprompta ab Isidoro Hispalensi etsi falsa divulgata est.¹⁹ Bravus illum Senecanum locum in sententiarum thesauro sive florilegio quodam fortasse legerat, nam Senecae sententiae et flores de moribus in plurimis libris ex Medio Aevo collectae erant, et ab humanistis etiam typis mandatae sunt:²⁰

1. Non sine magna ratione Seneca ille, sententiarum thesaurus admirabilis, dicere solebat, qui ad vitae exitum tamquam ad portum intra primos annos delatus esset, eum non magis queri debere, quam qui cito navigasset. Nam quemadmodum qui in altum sunt provecti, maris exagitati tempestatibus atque procellis exponuntur, quas necesse est excitas sustineant, sic qui e pueris excesserunt, quae aetas est quasi margo vitae, in adolescentiam tamquam e portu soluti tot se numquam quieti pacatique mundi maris tempestatibus committunt, ut optandum sit homini cum pueritiae simplicitate tranquillitateque animi vitae cursum conficere.²¹ (...)

1.3.8 *et alibi* · caelestis ignis PRUD. *perist.* 1.60 · caelestem... ignem LUCR. 2.381 · 4 miseris... #terras# LVCAN. 4.118 · 4-5 quae... miseris #tam dira cupido# VERG. *Aen.* 6.721 · 5 tibi #tam dira cupido# VERG. *Aen.* 6.373 · #mortale genus# LVCAN. 1.1008 LUCAN. 3.193 3.315 STAT. *Theb.* 11.468 SEN. *Oed.* 983 PRUD. *ham.* 406 *et alibi* · 5-6 cupido rerum PRUD. *cath.* 6.120 · cupidine rerum MANIL. 4.3 SIL. 13.769 · 6 #mortalia corda# VERG. *georg.* 1.121 · 7 terrae... sordes PLIN. *nat.* 2.46 · #dementia cogit# MOGG. *carm. ad Ioh. et Bar. Corig.* 26 FAUST. ANDREL. *ecl.* 48 *apud* RAV. TEXT. *Epith. s. v. dementia* · 8 #super astra volentem# PAUL. PETRIC. *Mart.* 3.144 *et alibi*

¹⁸ De argumento a notatione seu etymologia scribit Bravus in suo libro de arte oratoria, f. 77r.

¹⁹ VARRO *frg.* Non. 156M; ISID. *orig.* 11.2.2 et 11.2.10; *diff.* 1.398: *pueritia est tenera et parva aetas a puritate ita vocata.*

²⁰ Vide L. Annaei Senecae utriusque, et philosophi et poetae, sententiae in locos communes digestae per Hubertum Scutteputaem, Antuerpiae apud Lucam Bellerum, 1576, ubi in pagellis 18 et 317 eidem versus Vergiliani et amphorae simile in hoc dialogo etiam laudatum citantur. In *De arte oratoria* libro secundo, ff. 69-70, Bravus sententiarum polyantheas vel florilegia aliquot laudat, ut iam commentatus sum in ‘Antiguos y modernos en los *De arte oratoria... libri quinque* (1596) de Bartolomé Bravo’, apud *Acta Conventus Neo-Latini Upsaliensis*, quae Astrid Steiner-Weber et alii ediderunt Lugduni Batavorum, Brill, 2012, vol. II, pp. 823-833.

²¹ admirabilis *correx* : admirabiles *H* · portum *correx* : partem *H* · in ante altum *addidi* · excitas *correx* : exitas *H* · qui e pueris *correx* : quae pueris *H* · adolescentiam *correx* : adolecentia *H* · soluti *correx* : solvit *H* · pacatique *correx* : peccataque *H*

non sine magna CIC. *epist.* 13.29.2 · magna ratione CIC. *Sull.* 56 *Planc.* 2 · dicere solebat eum esse beatum qui CIC. *Tusc.* 3.38 vitae exitum LIV. 39.52.8 tamquam ad portum PETRON. 118.2 · tempestatibus procellisque CURT. 10.1.44 · nam quemadmodum CIC. *inv.* 1.61 · praenavigavimus, Lucili, vitam et quemadmodum in mari, ut ait Vergilius noster, [...] sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam (...) Portus est, aliquando petendus, numquam recusandus,

2. Ego, ut verum fatear, non ita facile adduci possem ut acutissimi prudentissimique philosophi sententiam probarem, nisi in me ipso hac qua sum aetate id iam essem expertus.²² (...)
3. (...) Quam sententiam et confirmant Virgiliana illa carmina, et timorem augent imminentium laborum:²³

Optima quaeque dies miseris mortalibus aegris
prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus.²⁴

Dum uterque adulescens in altum intenti ora tenebat, tertius scholasticus maior natu, nomine Iohannes, eos convenit, atque controversia fit de optima hominis aetate, scilicet vel pueritia, quam iuniores iam desiderant, vel adulescentia, quam Iohannes aetatem optimam arbitratur:

3. Quid istuc rei est? Quinam hic vester institutus sermo non tam familiaris quam serius? Videmini mihi alta expectare, cuius rei aspectus vester testimonio esse potest.²⁵
2. Geram tibi morem, quando id postulas, neque enim nos aliter facere sine magno scelere amicitiae nostrae ius patitur.²⁶ (...)
3. Gaudeo equidem tempestive me accessisse, cum ea enim a nobis inita quaestio est, quae nobis occasionem praebet, ne consuetudinem nostram, nostrum antiquumque morem conveniendi diebus singulis disputandique intermittamus. Quare discutiamus, si placet, et illius veritatem eliciamus.²⁷
2. Dicit siquid forte habes quod contradicas. Nos enim ad defendendam Virgilii sententiam parati sumus.²⁸
3. Quando igitur in Virgilium nostrum incidimus, bene ille quidem ait non ut poeta solum, sed ut philosophus: *optima quaeque dies miseris mortalibus aegris prima fugit*. Ego vero cum

in quem si quis intra primos annos delatus est, non magis queri debet quam qui cito navigavit. SEN. *epist.* 70,3 · tamquam ad portum PETRON. 118.2 · sumus proveci in altum PLAUT. *Mil.* 117 · animi tranquillitate CIC. *Tusc.* 5.71 · cursum vitae conficere CIC. *Tusc.* 3.2 *et alibi*

²² ipso correxi : ipse H

ut verum fatear COLUM. 4.5.1 OV. *trist.* 5.12.59 · adduci possem ut VAL. MAX. 6.4(ext.).2 · acutus et prudens CIC. *leg.* 1.54 · acutissime... prudentissimeque CIC. *div.* 2.150 · prudentissimo philosopho CIC. *Brut.* 315 · sententiam probarem CAES. *Gall.* 7.77.6 · in me ipso experiri potui CIC. *epist.* 13.29.7

²³ sententiamque confirmet CIC. *Part.* 126

²⁴ VERG. *georg.* 3,66-67. Bravus autem *aegris* pro *aeui* scripsit ex aliis Vergilianis versibus (*georg.* 1.237; *Aen.* 2.268 10.274 12.850), in quibus *mortalibus aegris* legitur.

²⁵ quid istuc est rei? TER. *Eun.* 652 · instituti sermonis CIC. *orat* 179 *leg.* 1.20 *et alibi* · sermo familiaris CIC. *epist.* 15.15.1 · video te alte spectare CIC. *Tusc.* 1.82 · testimonio possit esse CIC. *Font.* 16

²⁶ geram tibi morem CIC. *Att.* 3.20.3 *et alibi* · neque enim nos QUINT. *inst.* 2.5.24 · neque enim aliter facere poterit CIC. *Att.* 9.16.3 · magno scelere CIC. *Phill.* 4.9

²⁷ praebet... occasionem QUINT. *inst.* 5.13.31 6.3.56 · consuetudinem nostram CIC. *Tusc.* 3.7.9 · antiquo... more CIC. *Brut.* 132 · quare si placet CIC. *rep.* 1.34(fr2) · veritatem eliceret TAC. *ann.* 4.45

²⁸ si quid forte... habuisti CIC. *S. Rosc* 97 · nos ad audiendum parati sumus CIC. *Tusc.* 1.17

optimam lego, non pueritiam existimo, sed adolescentiam intelligo, quam arbitror aetatem optimam.²⁹ (...)

In hac controversia de illis Vergilianis versibus interpretationes ab adolescentibus vicissim confirmantur et refutantur sicut Bravus in suo progymnasmatum libro praecipit, atque eadem confirmationis partes ibi expositae in dialogo offenduntur, scilicet laudatio Varronis, qui teste Servio vitam humanam in aetates diviserat,³⁰ expositio, atque argumenta ad propriam opinionem demonstrandam, cum aliena interpretatio nimis obscura, impossibilis et obsona videretur. Post comparisonem inter vinum et hominis aetates ex epistula Senecana depromptam,³¹ locutio Ovidiana ab altero adolescente denique laudatur, etsi utriusque poetae atque liquoris nomina omittuntur:

1. (...) Si enim quid sit in vita hominis magis optandum spectemus, reperiemus profecto nil esse aliud quam tranquillitatem quandam animi nec inopia nec bonorum affluentia turbatam, quam timor non auferat, spes non inmutet, nulli labores adimant, nulla sollicitudo molestiaque oppugnet. (...) Haec autem tranquillitas animi cum pueritiae sit maxime propria, quis eam aetatem omnium felicissimam neget?³²
3. (...) Non enim primam esse optimam legendum puto, sed optimam primam fugere; quod, quae nobis iucundissima fuerunt, ea celerius multo non abiisse, sed fugisse videantur. Deinde tam desunt pueritiae ea bona quae narras, quam deesset thesaurus ei, qui eum cum haberet domi reconditum terra, nil tale non modo sciret, sed nec suspicaretur quidem. Nam cum in pueritia plena ratio non sit, ea, quae tu existimas bona, a pueris minime cognoscuntur. Quid est autem in homine praestantius ingenio? Hoc ergo in pueritia rude cum sit, id huic aetati a natura denegatum videtur, quod est in hominis vita praestantissimum.³³ (...)

²⁹ quando igitur CIC. *Verr.* 2.5.66 · ego vero cum CIC. *leg.* 2.3 *epist.* 14.3.5 · non... existimo, sed QUINT. *inst.* 2.8.10 · nec... existimo sed CIC. *leg.* 1.14 · optimam... arbitratur CIC. *Cael.* 24

³⁰ Vide SERV. *Aen.* 5.295; VARR. *frg Non. p.* 479 (*Antiq. Hum.* 14.t): *De aetate humana.*

³¹ SEN. *epist.* 108.26, ubi philosophus eosdem versus Vergilianos interpretatur, in quos alibi (*dial.* 10.9) incidit.

³² si enim quid CIC. *Rab. Post.* 11 · vita hominis CIC. *Sull.* 69 *et alibi* · est homini magis optandum CIC. *p. red. ad Quir.* 2 · reperies profecto CIC. *epist.* 5.13.3 · nihil esse aliud quam SEN. *nat.* 2.35.1 · animi... nec inopia nec satietate affluentia CIC. *div.* 1.61 · timor aut cupido / sordidus aufert HOR. *carm.* 2.16.15-16 · quam non spes, non timor SEN. *epist.* 6.2 · nulla sollicitudo CIC. *Tusc.* 1.96 SEN. *epist.* 80.6 · sollicitudo, molestia CIC. *Tusc.* 4.16 · tranquillitas animi CIC. *Lael.* 84 SEN. *epist.* 75.18 *et alibi* · maxime propria CIC. *de orat.* 1.145 3.42 *et alibi*

³³ non enim... puto CIC. *epist.* 7.1.3 *et alibi* · mihi... iucundissima fuerunt CIC. *epist.* 3.11.3 · celerius esse multo CIC. *de orat.* 1.160 · ea quae narrabantur CIC. *part.* 32 · cum haberet domi CIC. *Verr.* 2.92 · domi conditus CIC. *Mur.* 49 · condidimus terra VERG. *Aen.* 5.48 · ne suspicemur quidem CIC. *Mil.* 46 · plena ratio fuit PS. QUINT. *decl.* 9.4 · quid est autem in homine [sagaci]... melius? CIC. *Tusc.* 5.67 · hoc ergo in CIC. *inv.* 2.40 a natura denegatum... videatur CIC. *de orat.* 2.126 · quod est in vita optimum SCRIPT. HIST. AUGUST. *Tac.* 2.2 · hominis vita CIC. *rep.* 2.2 *et alibi*

2. (...) Quid ex eo quod sequitur: *subeunt morbi tristisque senectus* etc.? nonne satis patet quo magis processerit hominis vita, eo miseriorem esse, quae tot sit exposita incommodis? Nam quemadmodum ex amphora liquorem si effundas, quod in ea liquidissimum sincerissimumque est, id primum effluit, gravissimum quodque turbidissimumque subsidet, sic in aetate nostra quae annis tacitis consenescit, ut poeta ait, quod est primum, id optimum est.³⁴ (...)

Hispanico sermone proferuntur dialogus prosa soluta inter Devotionem et scholasticos, versus recitati a scholastico et a misero iuvene, cui Virgo Maria denique magno est solatio, aliique dialogi in quibus scholasticus negotiatorem primum, tunc rusticum ad Virginis amorem allicit. In alia scaena adulescentes tres versibus impariter iunctis, qui multo humiliore stilo quam hexametri sunt conscripti, honestos iuvenum mores laudant. Ovidius potissimum exprimitur, sed etiam alii poetae et antiqui et Christiani locos similes aliquot praebent; nonnullae vero locutiones in epistulis aliisque libris Ciceronianis atque in variorum auctorum scriptis inveniri possunt. Ut ipse Bravus in libro de arte poetica monet, omnes versus pentametri vocibus dissyllabis clauduntur, atque participiis in fine carent:

3. Ipse etiam obstupui mores potuisse repente
mutare et vitam constituisse novam.
Seria sectantur iuvenes, ludibria temnunt,
in facie apparet cum probitate pudor.
Ardor inest animis ignitaque verba profanti,
quae cordis penetrant interiora virum.
Nostros iam ludos fugiunt et templa frequentant,
et, nisi quod sanctum est, excidit ore nihil.
Estque frequens illis sacra de Virgine sermo,
mellifluum hoc nomen semper in ore ferunt.
Obsequio cuius mentem corpusque dicarunt,
Virginis atque fovet pectora mirus amor.
Alliciunt alios, suadent dare vota Mariae,
promittuntque illis irrita nulla fore.³⁵ (...)

³⁴ ex eo quod sequitur CIC. *har. resp.* 36 · nonne satis CIC. *Q. Rosc.* 108 *Phil.* 14.13 · nonne satis patet SALUT. *nob. leg. et alibi* · quo magis... eo CIC. *nat. deor.* 3.21 SEN. *dial.* 7.13.5 · quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidet, sic in aetate nostra quod est optimum in primo est SEN. *epist.* 108.26 · tempora labuntur, tacitisque senescimus annis / et fugiunt freno non remorante dies OV. *fast.* 671-672

³⁵ **11-12** repente mores mutavit TER. *Ad.* 984 · **14** probitas pudor PS.SEN. *Octavia* 587 · probitate pudore ENNOD. *carm.* 1.9.33 2.8.1 2.77.7 · pudori probitati CIC. *epist.* 5.16.4 · **15** #ardor inest animis# ADSO *Mans.* 31 · #ardor inest# oculis SIL. 2.431 · #inest animis# LUCAN. 5.18 16 · penetra interiora cordis AUG. *serm.* 348.1527.20 · **17** #templa frequentat# MART. 2.14.7 · **18** #et, nisi quod# OV. *met.* 2.451 · nisi quod sanctum est HIER. *epist.* 130.20 *et alibi* · #excidit ore# OV. *met.* 7.172 · **19** #estque frequens# OV. *fast.* 6.528 · frequens sermo TAC. *dial.* 2.1 · #sacra de Virgine# ARATOR *act.* 2.194 *et alibi* · **20** mellifluum nomen THOM. KEMP. *imit.* 4.2.17 *et alibi* · #semper in ore fuit# OV. *trist.* 4.1.68 · in ore fero SIL. 4.539 · **21** #obsequio cuius# IUVENC. 4.311 · #mentem corpusque# HOR. *serm.* 2.2.109 · **22** foverunt pectora LUCAN. 4.246 · mirus amor iuvenum OV. *Pont.* 3.2.95 · **23** #vota# dedisti OV. *Pont.* 2.5.13 · #vota marito# STAT. *silv.* 5.1.71 · **24** #nulla foret# OV. *trist.* 1.5.24

2. Haec quoque res nostrum pectus descendit ad imum,
nec cessat mentem sollicitare meam.³⁶ (...)
3. Si placet ut iuvenum mores imitemur honestos,
ducite me socium, namque libenter ero.
Felicesque erimus si forsan vinculo in illo
nodus amicitiae pectora nostra liget.³⁷ (vv. 11-24, 29-30, 39-42)

Postquam quartus iuvenis ceteris maior natu tres primos convenit, colloquium sequitur Latinum, in quo breves locutiones ex Cicerone praesertim depromptae adhibentur plurimae, duaeque paulo longiores: quarum altera ex Ciceronis libro cui titulus est *Orator*, in qua primus adolescens quintam imitandae elocutionis rationem sequitur, cum sententiae verborumque venustas aliis verbis aliaque sententia pari ac simili exprimitur imitando; altera vero ex eiusdem epistulis familiaribus, cum secundus adolescens tertiam imitandae elocutionis rationem sequitur, dum sententia relicta locutio in consimilem rem transfertur:

4. Sitis felices, optimi discipuli.³⁸ (...)
1. Itaque efficis ut cum contemptus tui causa ista dicas, omnia tamen tibi sint gloriosa quae dicis.
Sed nunc istaec relinquamus et nostra, si placet, agatur causa, non tua; nosque, quoniam ad vestram consuetudinem facilem significas patere viam, instrue, amabo te, et institutae nostrae vitae edoce rationem, ut minus rudes possimus in amicitiam vestram cooptari.³⁹
4. Faciam quod postulas; hoc enim deberi non potest. Hanc nobis Deus Optimus Maximus mentem donavit, ut nos totos beatissimae Virginis Mariae obsequio devoveremus.⁴⁰ (...)
2. Iam hic me continere non possum, quin orem te ut, siquidem de Virgine instituto sermone delectaris, aliquid reconditum promas, quod et tecum tacitus commentari soleas, et rudibus ad eos illius amore devinciendos exponere.⁴¹ (...)

³⁶ **29** #haec quoque res# OV. *Pont.* 2.9.63 · #ad imum# HOR. *epist.* 1.18.35 *et alibi* · ad imum pectus CELS. 8.1.14 · **30** #nec cessat# HOMER. 486 · #mentem sollicitare# MAXIM. *eleg.* 5.102 · mentem meam CIC. *Arch.* 14 *et alibi* · #sollicitare meum# OV. *epist.* 16.80

³⁷ **39** #Si placet# OV. *met.* 2.279 *et alibi* · #honestos#... mores IUV. 6.239-240 · **40** #me socium# STAT. *silv.* 3.5.107 · **42** nodum amicitiae CIC. *Lael.* 51 · #pectora nostra# OV. *epist.* 11.58 *et alibi*

³⁸ sitis felices CATULL. 68C.155

³⁹ itaque efficis ut cum gratiae causa nihil facias, omnia tamen sint grata quae facis CIC. *orat.* 34 · sed relinquamus CIC. *Tusc.* 1.67 · si placet nostra videamus CIC. *Cato* 81 · patere... viam CIC. *Font.* 24 *et alibi* · facilem... viam VERG. *Aen.* 3.529 *et alibi* · amabo te CIC. *epist.* 8.6.5 *et alibi* · institutae vitae CIC. *Att.* 1.17.5 · rationem edoceas PLAUT. *trin.* 372 · rationem... docere CIC. *ac.* 1.29

⁴⁰ oratio iuventuti nostrae deberi non potest CIC. *Att.* 4.2.2 · Iuppiter Optimus Maximus CIC. *Phil.* 13.12 *et alibi*

⁴¹ iam hic me PLAUT. *Asin.* 446 *et alibi* · me continere non possum HILDEG. *divin.* 1.4.76 *et alibi* · continere non posset SEN. *contr.* 9.1.6 · continere non possint PHAEDR. 4.19 · non potest quin CIC. *Tusc.* 5.17 *et alibi* · instituto tuo sermone CIC. *rep.* 2.33 · prome reconditum HOR. *carm.* 3.28.2 · aliquid ex se promat quod alios delectet CIC. *epist.* 5.14.1 · tecum tacitum PLAUT. *Poen.* 890

Virginis laus quae sequitur etiam congruit praeceptis quae de laudis partibus et argumentis grammaticus noster exposuit: exordium conscribitur ab ipso argumento, ab oratore atque ab auditoribus (“magnam mihi provinciam imponitis”), ab homine laudato (“in Virginem”), atque ab ipso die festo quo oratio recitatur. Argumentatio constat ex Virginis comparatione cum decem hominibus sanctis, quorum virtutes illa sola vincit. Conclusio (“qua re”), ut ipse Bravus praecipit, argumentationis summam atque exhortationem ad Virginem imitandam continet:

4. Magnam mihi provinciam imponitis, quam tamen vester me praeclarus in Virginem animus cogit suscipere, etsi video quanto cum mei rubore erit orationi meae consistendum. Novi enim quam sit sterilis, quanta eius inopia. Sed eam, cum fastidio esse coeperit, interpellabitis. (...) Dum haec, inquam, in memoriam reduco, incitari soleo vehementer, ut sanctissimam Virginem et ardentissime amare cupiam, et maximo cultu venerari. Nam cum eorum eximia laus ex virtute, qua quisque maxime excellit, promanet, cum omnia virtutum genera in Mariam concurrant, tot in ea una amoris cultusque causas reperio, quot sunt in viris clarissimis universis. (...) Maria vero una est in quam omnes virtutes summae confluerunt. Itaque cum insigne aliquod desidero castitatis exemplum, cum pudicitiae, cum charitatis, cum magnitudinis animi reliquarumque virtutum, proponere mihi soleo eos viros, quos verissimae historiae testantur his virtutibus fuisse conspicuos. Cum vero omnium simul virtutum exemplar desidero, in quo singularum sint imagines ad vivum expressae nullis umquam lituris, nulla conspersae macula, Mariam unam inter mortales invenio, in qua meus animus penitus conquiescat. Habuit enim illa semper ante oculos divinum illud Christi Optimi Maximi sanctissimae vitae exemplar, quod quantum humana natura patitur, diligentissime expressit.⁴² (...)

⁴² cogit... suscipere RHET. *Her.* 3.5 · quanto cum pudore CIC. *Flacc.* 10 · novi enim... quam sit CIC. *Att.* 2.24.1 · quam sit sterilis SALM. MACR. *ad Flam.* 9 *et alibi* · fastidio esse illis coepit SEN. *dial.* 9.2.15 · dum haec, inquam, CIC. *Cluent.* 125 · reducere in memoriam CIC. *inv.* 1.98 · incitari solent CIC. *Lig.* 11 · vehementius incitare CIC. *Att.* 15.1.2 · amavi... ardentem PLIN. *epist.* 2.7.6 · maximo cultu CURT. 5.9.1 · laus eximia CIC. *Verr.* 2.56 · laus ex virtute MANUT. *phras. index.* · ex virtute laudem ARNOB. *praed.* 3.29 · ut quisque... maxime excellit CIC. *off.* 1.64 · omnia virtutum genera RADBERT. *fid.* 3 *et alibi* · omni virtutis genere CIC. *de orat.* 1.56 · omnia genera CIC. *Tusc.* 3.76 SEN. *epist.* 56.1 *et alibi* · omnia licet concurrant CIC. *Att.* 14.4.2 · tot in una ea HIL. *trin.* 2.22 · reperio causas CIC. *Cato* 15 · causas reperiemus CIC. *Brut.* 325 · cum aliquo insigne CIC. *epist.* 7.6.1 · castitatis exemplum AUG. *adult. coniug.* 2.8.7 *et alibi* · virtutis, magnitudinis animi, patientiae CIC. *fin.* 2.29.95 · reliquarumque virtutum HIER. *in Gal.* 1.1.15 · reliquaeque virtutes CIC. *fin.* 5.21.58 *Tusc.* 5.5.13 *nat. deor.* 2.153 *et alibi* · mihi... proponere solebam CIC. *de orat.* 1.154 · sacrae historiae testantur BEDA *princ.* 3.12 · testatur historia SERV. *Aen.* 1.738 · virtute conspicuus sit SULP. SEV. *dial.* 1.21.3 · omnes virtutes simul SEN. *epist.* 113.14 · imagines ad vivum expressae REMB. DODON. *Trium priorum... in titulo et alibi* · expressamque imaginem CIC. *S. Rosc.* 47 · nullam lituram CIC. *Arch.* 9 · nullam habere maculam SEN. *clem.* 1.11.2 · maculis consperseris CIC. *Flacco frMed.* 7 · animus conquievit IUST. 12.6.5 · habuit enim ille CIC. *Cael.* 12 · semper ante oculos habere CASSIOD. *in psalm.* 118 · semper ante oculos CIC. *Mil.* 61 · Iovis Optimi Maximi CIC. *Catil.* 3.21 *Sest.* 129 *Phil.* 14.27 *et alibi* · Christus Optimus Maximus ERASM. *inst. princ. et alibi* 11.8 · exemplar vitae sanctissimum LUC. TUD. *alt. vit.* 2.21 · exemplar vitae HOR. *ars* 317 · quantum natura humana patitur BEDA *epist.* 1.1 · quantum humana natura posset pati SEN. *dial.* 1.4.8 · diligenter expressit CASSIOD. *in psalm.* 47 · diligenter a me expressa CIC. *Att.* 13.19.5

Denique tres primi adolescentes eam oratiunculam laudant, dum locus ex Ciceronis libro primo de oratore exprimitur.

1. Quid tacetis? Nihil vos et elegans et iucunda oratio conmovit?⁴³
2. Immo vero utrumque ipse attendo. Mirabar enim et verborum cursum et vim.⁴⁴ (...)
3. Ego certe sic sum ea oratione delectatus, tam vero mihi brevis visa est, sic evolavit, ut cum eius vim concitationemque aspexerim, vestigium ingressumque vix viderim. Sed ea certe vestigia quae reliquit, ea in pectore reliquit meo non pulsa leviter; quam me, bone Deus, Virginis amor accendit et inflammat! quam vellem dignum me reperiri, qui aliquando aliquid ederem tantae Virginis obsequio dignum! Duc nos, obsecro te, ad socios, ut haec fiat quam optamus colendae Virginis conspiratio.⁴⁵

In dialogi fine eidem adolescentes una cum aliis iuvenibus Virginis Mariae Congregationem inire Hispanico sermone constituunt.

joaquin.pascual@uca.es

⁴³ quid tacetis? nihilne vobis CIC. *de orat.* 1.161 · iucundi et elegantis QUINT. *inst.* 5.13.48 · iucunda... oratio CIC. *epist.* 3.1.2 *et alibi* · perelegans... oratio CIC. *Planc.* 58

⁴⁴ immo vero ipse CIC. *Verr.* 2.4.92 · cursus verborum CIC. *de orat.* 1.161 · verborum vim CIC. *fat.* 20 · verborum vis CIC. *Caecin.* 58 *et alibi* · cursus... vis CIC. *rep.* 6.18 · verborum... cursus... vis QUINT. *inst.* 10.7.14

⁴⁵ ea *correxi* : N. *ut videtur H* · bone *correxi* : bone *H*
admodum delectatus sum eius oratione CIC. *fin.* 2.3 · sic evolavit oratio, ut eius vim et incitationem aspexerim, vestigia ingressumque vix viderim CIC. *de orat.* 1.161 · vestigia... reliquit CIC. *Verr.* 2.4.97 · bone deus SCRIB. LARG. 84 · boni di PLAUT. *Pseud.* 937 · dei boni CIC. *Att.* 14.21.2 *et alibi* · amore tandem inflammati CIC. *de orat.* 1.196 · amor... accendit SEN. *epist.* 9.11 · inflammat et accendit AUG. *serm.* 361.1599 · quam vellem... me... ! CIC. *epist.* 10.28.1 · dignum... edere CIC. *de orat.* 1.120 *et alibi* · duc nos sodes TER. *Phorm.* 103 · obsecro te CIC. *Phil.* 11.20